

~~C. H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

Q. D. P. B. V.

50

Valedicentem
Gymnasio patrio
& Academiam Lipsiensem
petentem

Juvenem optimum,

AUGUTUM Bofflob EICHNERUM, VIRI

Tit.

DN. GEORGII ERNESTI
EICHNERI,

JCTi & Praetoris quondam
apud nos longe meritissimi,
non degenerem filium

Anno MDCCXII. d. 3. Februar.

Voto hoc pio
prosequebatur

M. Adam Erdmann MIRUS,
Gymn. ConR.

ZITTAVIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni.



Alutis ratio cum in aliis rebus, tum in eo potissimum posita est, ut in suo quisque officio non magis industriam, quam morum elegantiam proberet. Illa enim efficit, ut, depositis inscitiae ingenitae tenebris, magis magisque ad lumen solidioris sapientiae properet, perpetuaque istius serenitate recreari gestiat. Haec omnium favorem benevolentiamque conciliat, qui virtutem venerantur ac coniunct, quiq; amatores illius vera laude dignos arbitrantur. In utroq; officio explendo talis hactenus fuisti, qualem & praeclara tua indoles, & studiorum ratio efflagitabant. Sustinuisti animose, quae in studiorum stadio laborum incommoda iter saepe difficile & impeditum nobis efficiunt, natura tacitis veluti stimulis magis magisque alacritatem concitante. Perfecisti constanter, quae fortiter sustinueras, in merasque convertere delicias nullus dubitasti, quae multi tui ordinis sive quotidianis accusant sermonibus, sive omnino ex laborum taedio abjiciunt. Exitum unius laboris fecisti initium alterius, cuncta fore in expedito existimans, si nullis vel perturbationibus animi, vel aliis incommodis cederes, sed strenue vincereres, quae a sapientiae meta multorum iter solet reflectere. Cumque grata laborum assiduitas intenta ad scopum studiorum esset; displicere aliis noluit
inge-

ingenita modestia, futurae felicitatis non obscura magistra. Admonitionem beatissimi Parentis animo fixam & immotam retinuisti, non agnoscere sapientiam splendorem suum, sed suo veluti ornamento destitui, nisi decens morum elegantia dignitatem ipsi adderet. Totus quoque in eo fuisti, ut actiones omnes ad illius praecepta conformares, Deique non solum gratiam, sed & hominum benevolentiam pio hoc cultu tibi conciliares. Dum vero aetas & studiorum ratio a te requirunt, ut, deserto patro Gymnasio, Academica subsellia occupies; fac, tecum pristinam in laboribus continuandis voluntatem retineas. Ingredieris tallem locum, in quo omnia habes exposita, quae & doctrina, & experientia augere tyrocinia tua possunt. Seminarium cernis, in quo arbores tenerae in senescentium, vel omnino deficientium locum feliciter propullulant. Effice igitur, ut fertiles imiteris arbores, in quibus flores pulcherrimi apparent, futurorum fructuum felicissimi prodromi. Infers te in commercium eruditorum, eo utilius orbi literario; quo maiores divitias conciliat. Nunquam igitur otiosus sis spectator, sed merces tibi pares, bonis omnibus aliquando utiles & salutares. Solidioris doctrinae Theatrum habes apertum, omnia sapientiae arcana fistens, quibus orbis terrarum regitur. Ita in illo versare, ut aliquando in famae theatrum prodire, omniumque oculos mentesque in te convertere possis. Magnam sustines expectationem magno quondam Parente non indignus filius. Vedit ille in te bonam indolem, sibique de filio optimo saepe gratulatus est. Videre tamen fato praereptus vel in superiores ascendentem classem, vel in Academiam discedentem non potuit. Videl tamen felicissima Mater. Vident honoratissimi Affines cum Sororibus dulcissimis. Illa piis votis atque suspiriis vitam Academicam filio dilecto cupit esse fortunatam. Hi nihil magis in votis habent, quam ut aliquando ex Academia redeas familiae Eichnerianaee desideratum ornamentum atq; praesidium. Quare dabis hoc

sacra-



sacratis Parentis manibus, ut vestigia ejus legas, partamque ab
eo gloriam sive conserves, sive illustres. Dabis hoc dilectissi-
mae Matris vel desiderio vel solatio, ut in te revirescant, quae
cum Mariti morte amisit ornamenta maxima. Dabis hoc spei
honoratissimorum Affinium, ut intelligant, eo plus te in dies
~~sol~~gulos profecisse; quo plura & majora de te sibi indulgent.
Destinabis igitur laudi tuae, quicquid potest efficere. Invitat
aetas, fervert discendi cupiditas, offert se veluti in societatem Pa-
trum Academicorum studium in te incredibile. Si precibus
meis quicquam efficere licet; pauca verbis, affectu plura appre-
cabor. Ducat te felicitatis autor felici sidere in Academiam.
Benedicat studiis, ut metam tibi propositam feliciter consequa-
ris. Reducat te ita, ut quantum in Te fuerit, Deo Reique
publicae ex animi sententia servi-
re possis. Vale!



Ung. VI 58 (1)


ULB Halle
002 686 287

3



56,

VDI 7
Sep. 2000 Pd.



B.I.G.

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

Valedicentem
Gymnasio patrio
& Academiam Lipsiensium
petentem

Juvenem optimum,

AUGUTUM & Gofflob EICHNERUM, VIRI

Tit.

DN. GEORGII ERNESTI
EICHNERI,

Jcti & Praetoris quondam
apud nos longe meritissimi,
non degenerem filium

Anno MDCCXII. d. 3. Februar.

Voto hoc pio
prosequebatur

M. Adam Erdmann MIRUS,
Gymn. ConR.

ZITTAVIAE,
Typis Michaëlis Hartmanni.